

radus de Kirchberg vel Walthausin dictus, Archidiaconus Lusacie in eccles. Misn. nostram accedens presenciam supplici ac devota nobis precum instantia supplicavit, quatenus divinae remunerationis intuitu indulgere annuere et consentire dignaremur, ut praepositura s. Ecclesia parochialis in Lubbin ejusd. Misn. Dioecesis appropriaretur, incorporaretur, uniretur et annecteretur Archidiaconatui Lusacie memorato. Nos igitur justis piis et rationabilibus ejusdem Domini Conradi precibus favorabiliter inclinati suis obsequiis fidelibus quondam inclito Fridrico Marchioni Mysnensi felicitis memorie sororio nostro ac ipsis heredibus exhibitis, et successu temporis peramplius exhibendis, diligenter pensatis ac clerum et populum terram Lusacie inhabitantes, a laboribus, expensis et viarum periculis relevare, non modium cupientes, ob progenitorum, nostre, heredum et successorum nostrorum et specialiter olim Magnifici Ludewici Marchionis Brandenburg. fratris nostri, qui Sabato ante diem b. Mathei Apostoli diem clausit extremum, clare recordationis, animarum remedium et salutem, matura deliberatione et sano secretariorum nostrorum consilio prehabitis in dulsimus, annuimus et consensimus, et nihilominus harum indulgemus, annuimus et consentimus serie literarum, ut ecclesia parochialis seu praepositura in Lubbin memorata, cum suis redditibus, obvencionibus, juribus, honoribus, consvetudinibus, et pertinenciis universis quibus vir honorabilis Dominus Gebhardus de Buckansdorf eam possedit hactenus et adhuc possidet per Dominum Episcopum et capitulum dicte Misn. Eccles. et alios quorum interest, seu interesse poterit, approprietur, incorporetur, uniatu et annecteretur Archidiaconatui Lusacie, per Dominum Con-